



## Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

## Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

## Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.





UNIVER



NT











IO. EBERHARDI FISCHERI

Historiarum & Antiquitatum Prof. P. O. Academiæque  
Scientiarum, quæ *Petropoli* est, Socii,

QVÆSTIONES

# PETROPOLITANÆ

- I. de origine *Ungrorum*
  - II. de origine *Tatarorum*
  - III. de diversis *Sbinarum* Imperatoris  
nominibus titulisque
  - IV. de *Hyperboreis*.
- 

EDIDIT

AVG. LUDOVICUS SCHLÖEZER

Academiæ Scientiarum *Petropol.* Socius  
Historiarumque Prof. P. O.

---

GOTTINGÆ & GOTHÆ

IMPENSIS DIETERICHIANIS

1779.





THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION

500 FIFTH AVENUE, NEW YORK, N. Y.

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

VIRO CELEBERRIMO  
IO. EBERHARDO  
FISCHERO.

Quæstionum harum Auctori

S.

AVG. LVDOV. SCHLOEZER.

*Quæ de Ungrorum Tatarorumque originibus meditate commentatus es, Romanoque stylo signasti, VIR DOCTISSIME: ea omnino, aut magna ex parte, noua sunt, recondita, ignota DEGVIÑESSIO, atque inaudita ipsis historiographis Ungricis. Erunt igitur, quibus bene meruisse*  
de

de studiis nostris communi-  
bus videbor, qui Quaestiones  
hasce, per XII. amplius annos  
scriniis clausis custoditas, ab  
invito fere expressi, & publicæ  
luci omniumque usibus expo-  
sui. Erit grata posteritas, quæ,  
cum Tua leget, in censura in-  
geniorum Russicorum, quorum  
solertia patriæ gloriam, utili-  
tatem historicis litteris uni-  
versis attulit, BATERorum  
atque MULLERorum nomi-  
nibus Tuum quoque adiunget. --  
Quidni enim Russica ingenia  
vocem, quæ, quamquam sub  
alieno cælo nata, in Russicum  
ta-

*tamen traducta solum, augusta-  
que cura nutrita, effloruerunt  
letius, fructusque tulerunt  
alibi haud facile prouenturos?*

*Fortasse nec ingratum Ti-  
bi fuisset, COLLEGA AE-  
STVMATISSIME, si homo  
inventorum Tuorum emulus,  
isque Te indoctior quidem,  
at felicior, quippe alienae do-  
ctrinae praesidiis, ob vicinita-  
tem Gottingensis Bibliothecae,  
paratior, praclarissimis inuentis  
Tuis aliquid addidissem. Ne-  
que diffiteor, me ex quoti-  
diana lectione recentissimarum*  
*in*

*in hoc genere rariorumve li-  
brorum annotasse multa, de  
quibus cognoscere TE atque iu-  
dicare vehementer vellem. Ve-  
rum nolui ea ipsis Quæstionibus  
Tuis subtexere, sed verecun-  
dius in aliud tempus scriptum-  
que reseruavi.*

*Interea vale, VENE-  
RANDE SENEX, fama-  
que, quæ apud Germanos, hi-  
storix Tuæ Sibiricæ harum-  
que Quæstionum intelligen-  
tes iudices, de TE præclara  
est, diu latus interes. Si ope-  
ram, quam in edendis his-  
ce*

ce *Quæstionibus* posui, *Tibi*  
*gratam*, aliis *fructuosam* esse  
*cognouero*: eandem aliquando  
*impendam* in *Vocabularium*  
*Tuum Sibiricum*, Teque du-  
*ce viam* *ingrediar*, quam  
*LEIBNITIVS* olim magno ani-  
*mo cepit*, Tu primus patefec-  
*isti*, ad triginta fere *populos orbis*  
*Russici*, *CATHARINAE II.*  
*seruientes*, alias adhuc *vix* de  
*nomine notos*, in certa genera  
*cogendos*.

*Scripsi* *Gottingæ a. d.*

*XVIII. Iun. 1769.*

*In-*

# Index

	Pag.
I. <i>de origine VNGRORVM</i>	I
II. <i>Coniecturæ de gente TATARORVM, item de priscis MOGOLIS, eorumque lingua</i>	41
III. <i>de variis nominibus imperii SHINA- RVM, titulisque Imperatorum Exer- citatio</i>	77
IV. <i>de HYPERBOREIS</i>	97

I.

**I.**  
**DE**  
**ORIGINE**  
**UNGRORUM.**

**A**



I

21

371.440

111101070

5



I.

DE ORIGINE  
UNGRO RUM.

---

§. I.

A nimus est, *Ungro rum* investigare originem. Mitto illam Jornandis incertam atque anilem, de ortu Hunnorum ab lamiis ex coitu cum Faunis nescio quibus, fabulam. Jornandes Gothus Hunnos Gothorum victores, quatenus ferro non potuit, lingua saltem ac scriptis lacerare aggressus est.

Aliud est examine nostro dignius, eademne gens olim fuerint Ungri cum Hunnis, nec ne? Fuisse, rerum Ungaricarum

A 2

scripto-

scriptores ajunt tantum non omnes. Quæ auctoritate? non habeo dicere. Ex annalibus certe aut ex rerum vetustarum monumentis opinionem suam constabilire non possunt, quia & Hunni & Ungri, primi illi Romani imperii vastatores, barbari fuerunt *ἀναλφαβητοί*. Quod autem de similitudine nominum afferunt, nihil est: neque enim ea est similitudo, quæ secus sentientibus non videatur dissimilitudo maxima. Atque adeo quid simile inter *Hunn* & *Jugur*? sic enim appellabantur, qui nunc Ungri dicuntur: nam illud *n* interjectum est vitio pronunciationis, vel si mavis, varietate dialectorum, quæ mutis litteris semivocales præponere amant; cujus exempli vocabula & in aliis linguis deprehendere licet, qualia sunt in latina *laterna*, *lanterna*, *nix*, *ningit*, & innumera alia in aliis quoque linguis. Sic Græcis celeberrimus ille Seldschukidarum Sultanus *TOGRUL-BEG Tangroli-pix*: sic qui se nominarunt *Magolos*, ceteris nationibus audiunt *Mongali*. Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) delassare possint quemvis vel loquacissimum. Igitur ex aliis fontibus haurienda est ea conjectura.

## §. 2.

Et primo quidem, si antiquissimas utriusque gentis sedes anquirere volumus, Hunni in desertis vagabantur, sitis contra provincias Sinicas *Schenfi*, *Schanfi* & *Petschelt* a septemtrionibus. Testatum id faciunt Sinarum annales, quos multis annis ante, quam Cel. DE GUIGNES II laudatissima de Hunnis historia in publicum prodiret, Academia Scientiarum ex Sinico in Russicum sermonem versos in MSS. habuit, habetque. Quonam nostro fato fieri dicam, ut, quæ nobis diu nota fuere, ab aliis citius quam a nobis vulgentur? Sed hoc parum est: multa hac ipsa ætate in lucem alibi prodierunt, quæ nostrorum ingeniis laboribusque natales suos debent. Sed eo, unde digressus sum, revertor.

Dixi, antiquas Hunnorum sedes oppositas fuisse Sinis a septemtrionibus. Contra ea Jugrorum veteres habitationes fuerunt in ea regione, quam hodie *Turfan* nuncupant (a), sita Sinis occidentem versus,

A 3

dis-

(a) Vld. GAUBIL. *Hist. de Gentibiscan* p. 13. not. (2). DE GUIGNES *Hist. des Huns* T. I. Part. II. p. XXXI,

disjunctaque ab iis & ab Hunnis deserto illo arenoso, quod incolis *Gobi*, Sinis *Scha-mo* (b) dicitur. Itaque patria utrorumque fuit diuersissima, alteraque ab altera dirempta et remoto. Suis porro utraque natio regibus suisque legibus regebatur; quamvis infitias ire non sustineam, fuisse aliquando tempus, quo Jugri Hunnorum imperio subiecti fuerant. Sed quid hoc ad consanguinitatem gentium? Ex hoc ipso intelligitur, qui armis domandi fuerant, fuisse hostes.

## §. 3.

Si quid ex veteri Hunnorum lingua superesset, facile diiudicatu foret, cognatio aliqua inter utramque gentem intercedat, an nulla. At nunc, quatenus lingua cum ipsa gente ac nomine perijt, neque quicquam præter paucula nomina propria superest, argumentatio istinc petita inanis est. Superfunt quidem *Siculi Transilvaniæ*, Hunnorum

(b) *Scha Sinis* in universam notat arenam: *Mo* immensum arenarum cumulum. Sæpe illi copulant duo eiusdem fere notionis vocabula, quo rem notatam expressius significant. *Scha-mo* igitur eorum lingua denotat *terram vastissimam arenis oppletam*.

notam ut ajunt reliquæ: at has cum ceteris Ungris in unam pridem coaluisse gentem audio, lingua, moribus, habitu nulla in re discrepantes. Neque tamen animum inducere possum, ut credam, nulla omnino vocabula barbara originis alienæ, ceteris Ungris prorsus incognita, in ea natione superesse, ex quibus coniecturam de ea re facere liceat: quam curam iis relinquendam censeo, qui propius ab illa natione absunt. Quod ad veteres Jugros attinet, testatur, qui per eas regiones iter fecit, RUBRUQUISIUS (c), peculiari eos idiomate usos fuisse, quod satis est: incongruum enim foret dicere *peculiari*, si commune cum finitimis gentibus fuisset.

## §. 4.

Si vero ab idiomate ignoto ad habitum corporis formamque veterum Hunnorum externam animum adicias: pro superi, quæ diversitas! prorsus ut atrocem hodiernis Ungris mihi facere videat iniuriam, si vel sola cogitatione comparisonem cum deformibus illis Hunnis instituere velim. *Ab ipsis nascendi primordiis*, ait MARCELLI-

A 4

NUS

(c) Chap. XXV.

**NUS** (d), *infantum ferro sulcantur altius gena, ut pilorum vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur; senescunt imberbes absque ulla venustate, spadonibus similes: compactis omnes firmisque membris & opimis cervicibus prodigiose deformes & pandi, ut bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiasi stipites dolantur incomte in hominum figuras.*

Quod de *sulcatis ferro genis* ait, id puto falsum est, nisi punctas acu ferrea malas animalium, florum, frondium, atque id genus aliarum rerum figuris, argumentum apud barbaros nobilitatis, interpretere: quares, etsi in utroque terrarum orbe apud varias gentes satis usitata sit fueritque, eam tamen de Hunnis affirmare temere non ausim. Sunt aliæ gentes, Eluti, Mongali, atque eorum consanguinei, qui ætatem degant imberbes, quamvis genas nullo ferro violent.

Quod addit de *monstruosa Hunnorum facie*, ea sunt eiusmodi, ut, nisi jam aliunde constet, rationem concludere satis tuto liceat, gentes modo dictas progeniem esse

ve-

(d) Lib. XXXI.

veterum Hunnorum. Sunt nimirum omnes, quos quidem videre mihi contigit, Eluti Mongalique vultu illiberali, oculis pusillis quales sunt cæcutientium, quamvis illi satis acutum cernant, genis tuberosis, naso introrsus acto, eminentibus fœdum in morem binis foraminibus, barba vel nulla vel rarissima, ceruicibus opimis, latis humeris, membris compactis firmisque: putares, ab alio quodam satore generis humani, non illo, quem sacre Christianorum literæ commendant, progenitos. Certe figura talis est, quæ homini inter Europæos nato non deformis videri nequeat.

Sed quid? Eluti satis sibi sua forma placent, nostram vilipendunt: eodem plane iure, quo nos tractamus aliena. Poëtæ veteris Latii phocas, ursos, & id genus animalia, in quibus formandis natura non minorem quam in ceteris curam impendisse videtur, turpia prædicarunt: quo iure? nescio, Iniqui sane sunt rerum arbitri, qui sua tantum mirantur; imperiti, qui nihil elegans putant, nisi quod inter ipsos est. Tali modo nihil in medium consulitur, iudicium nimio partium studio corrumpitur, & veritas amittitur.

A §

§. 5.



## §. 5.

Sed redeo ad Hunnos, qui, donec inter se congruerunt, ceteris nationibus terrore, gliscente discordia contemptui, esse coeperunt. Anno post Christum natum tertio & nonagesimo eo res euasit, ut altera eorum pars, bellis variisque ærumnis fracti, relicto natali solo novas ad occidentem versus sedes quærere coacti, tandem subsisterent prope fontes Jaici fluminis in regionibus Baschkirorum (e). Sed gens quietis impatiens, finitimis gentibus circumquaque domitis, imperii fines hinc ad Caspias portas, illinc ad paludem Mæotin usque, protulisse fertur. Neque his contenti successibus, Valente Cæsare imperante, Tanai annæ superato, Gothos veteres regionum illarum colonos auitis sedibus expulsos, partim secum militare, alios fuga salutem trans Danubium in provinciis Romanis petere, coegerunt (f).

Neque vero qui patriis sedibus relictis migraverant Hunni, romanum imperium inunda-

(e) *Histoire générale des Huns* par Mr. DE GUIGNES T. I. seconde Partie p. 278.

(f) *Ann. MARCELLINUS* Lib. XXXI.

undaverunt omnes. Pars deserta Irtyshi fluminis, auriferos alii montes (*Altai* vocant) occuparunt: alii alia, quo quemque consilium aut casus tulerat, receptacula delegerunt. *Procopius, Cæsariensis* alborum meminit Hunnorum, quos ipse *Ephthalitas*, ceteri more Græcis satis usitato corrumpendi vocabula barbara, *Nephtalitas* cognominant. Et hi quidem in Transoxiana, speciatim in provincia *Balk*, quam *Bactra* veterum arbitrantur, tetenderunt, bellica laude & justitiæ fama juxta inclyti. Neque vero angustis unius provinciæ terminis includi sese patiebantur, sed late per fines Indorum atque Persarum vagantes, *Indo-Scytharum* nomine celebrabantur. Rectene an secus Hunnorum illos censuerit progeniem Procopius, examinabitur postea. Ceterum vocabulum illud Ephthalitarum, qui vera pronuntiatione *Haïu-talita* (ff), sive sim-

(ff) Scriptores Byzantini nominant eos, pars *Estalitas*, alii *Nestalitas*, memores opinor Iacobi filii, *Nastali*. Idem Procopio Cæsariensi vocantur *Hunni albi*. D'Herbelot autem in ea versabatur opinione, ut *Barantolam*, quæ Kalmyccorum seu Elutorum est regio, nomen traxisse crederet a *Belud Haïa-tbelab*

simpliciter *Talita* (g) appellandi fuerant, nemo adhuc, quod ego quidem meminerim, explicare aggressus est. Significat autem homines *in campis habitantes*, a Mogolorum & Elutorum nec non Bucharorum vocabulo *talà*, quo ab aliis, montium scilicet ac siluarum incolis, discernuntur.

### §. 6.

Omnia Hunnorum enarrare, aut recentiorum commenta redarguere, nihil attinet.

*thelab*, q. d. país des Haiathelites. Qua in re fallitur; neque enim nomen est arabicum, sed mogolicum, quod Kalmycci, Mogolorum consanguinei, enunciant *Borò-talà* i. e. campum cinereum; (*borò*, color cinereus; *talà*, campus latissime patens, seu desertum, quod Russi *step'* vocant). Campus autem cinereus ideo vocatur, quia in istis locis terra ardore solis tepefacta materiam quamdam salsam sed subamaram passim exsudat, pecori & armentis gratam salubremque. Lacus quoque, juxta quem Kalmyccorum principis sedes fuit ordinaria, hodieque dicitur *Borò-talà-nôr* (*Nôr* lingua Mogolorum & Kalmycc. lacus).

(g) Vid. DEGUIGNES *Hist. des Huns* T. I. P. II. p. 282. d'HERBELOT *Bibliothèque orientale*, art. *Haiathelab*. cf. *Allgemeine Weltbist.* T. IX. §. 583. not. p.

tinet. Pannoniam armis ab illa gente occupatam, *Theodosio II.* Constantinopoli, Romæ *Valentino III.* imperantibus, constat. Conflictati deinde varia fortuna, tandem a Carolo M. Romanorum Imperatore A. 794. pacati sunt. Ex illa tempestate omnia Hunnorum in peius ruere, ac retro sublapsa referri, donec a supervenientibus *Ugris* seu *Jugris*, Arnulfo Cæsare imperante, ad interuersionem cæsi sunt. Quo facto nomen Hunnicum penitus evanuit, cuius in locum successit Ungricum.

Demonstratum est, AA. Hunnos & Ungros diversos plane populos, neque ejusdem originis, fuisse. Qui alia omnia sentiunt, causam suam rueri ita possunt, ut dicant, nomen Ungrorum jam a sexto usque sæculo notum fuisse; itaque falsum esse, quam modo dedimus, epocham irruptionis Jugrorum a tempore Arnulfi. Etiam si falsa esset illa epocha: non tamen ideo sequeretur, non duo diversos populos fuisse Jugros & Hunnos. Sed veram esse, luculenter spero evictum dabo.

Dixi supra, Hunnos, postquam larea patrios fuga præcipiti reliquerant, confedis-

disse in *Baschkiria*. Atqui hæc erat patria Jugro-  
rum. Credibile porro est, eos ab Hunnis armis domitos una cum his ire in expeditiones bellicas coactos fuisse: neque solum hos, sed proximos quosque, quos illi subegerant, Alanos, Sarmatas, Ostrogothos, Gepidas, & innumeros alios. Quotus enim quisque ex tot myriadibus, qui in romanum Imperium irruerunt, rapinis, cædibus, incendiis omnia vastaverunt, germanus fuit Hunnus? Proxima quæque victoria instrumentum erat sequentis, & sic nova semper virium accessione fortiores ad alios transibant, non illi quidem Hunni, sed cum Hunnis permixti populi alii. Equidem si exercitum Hunnorum in universitate spectares, omnes diceres Hunnos; si vero in partibus, vix decimum quemque agnosceres Hunnum. Tali rerum statu facile largior, Ungros jam inde a sexto sæculo Romanis innotuisse. Sed discrimen faciendum est inter eos Ungros, qui suis, atque alios, qui auspiciis militaverunt alienis. Alienis, inquam, auspiciis meruerunt ante illam quam statui epocham, postea suis.

## §. 7.

Aliud est, quod opponere possunt adversarii, Jugrōs & a Græcis & a rerum orientalium scriptoribus appellitari subinde *Turcor* (h); sed & Hunnos eodem nomine insigniri (i): eandem igitur esse gentem utrosque. Quærere libet ex iis, qui talia jactant, quid nomine *Turcorum* significari velint? Mihi quidem videtur nomen unum, non una gens, perinde ac si quis dicat *Scythas*. Ego autem semper in ea opinione fui, ut qui *Scytham* dicat, nihil dicat. Omnes enim & Europæ & Asiæ gentes, quas Geographi manus noverant, dummodo in aquilonem vergerent, communi nomine *Scythas* appellarunt: eodem prorsus errore, quo hodie easdem gentes *Tataros*, vel ut fert deprauata hominum pronuntiatio, *Tartaros* vocare consueverunt, institutis, lingua, habitu corporis diversissimos. Ego in ea hæresi verfor, ut credam, eandem gentem recte dici, qui vinculo unius linguæ

(lin

(h) Vid. BAYERI *Geographia Russiæ vicinorumque regionum* &c. in *Comment. Acad. Scient. Petrop.* T. IX. p. 417.

(i) DE GUIGNES *Hist. des Huns* T. I. P. I. L. V. p. 225.

(*lingue* inquam, nam varietatem dialectorum nihil moror) inter se continentur: quæ ratione Turci sunt, qui eandem Turcicam linguam loquuntur; loquuntur autem præter Osmanidas plerique omnes Ponti Euxini & Caspii maris accolæ, item in Transoxiana, & in desertis Kaptſchak, & in Sibiria, quotquot Muhammedis sectam sequuntur, Tattari. Igitur hi omnes vel Turci sunt, vel Turcorum consanguinei. Mongali vero & Eluti nullo cum his commercio linguæ conjuncti sunt; itaque ergo neque Turci sunt. At iidem sunt progenies Hunnorum, a quibus & mores & instituta & linguam & habitum corporis hereditario quasi iure acceperunt; ergo neque Hunni fuere Turci. Contra ea vetustissima Jugrorum gens, quoad in antiqua patria vixit, Turcice loquuta videtur. Quod si verum est, id quod mox sub examen revocabitur (k): primi illi Ungri, qui una cum Hunnis romanum imperium bello tentare ausi sunt, jure optimo vocari potuerunt Turci.

### §. 8.

Ceterum in recensendis gentibus barbaris auctores Græci titubant sæpius, eorumque

(k) Vid. *infra* §. 19.

que nomina miscent. Fuerat gens in borealibus paludis Mæotidis Tanaisque fluvii regionibus, quæ camporum illorum æquora longe lateque infederat. Hanc Procopius Hunnos *Cuturguros*, Agathias simpliciter *Hunnos*, Cedrenus *Slavinos*, vocat. Contra alii in opposita continente, qua Palus in Pontum Euxinum influit, degentes, Hunni *Uturguri*, modo *Turci*, alias *Bulgari*, & item *Ungri*, ab iisdem scriptoribus vocantur. Mira gentium confusio! secundum Græculos istos Hunni, Slavini, Ungri, Turci, Bulgari, non differunt nisi solo nomine. Inaudiverant, credo, aliquid de istis gentibus, quarum, quia fama erat obscurior, promiscue usurpabant vocabula, easque generali Hunnorum, quia notiores ea tempestate erant, nomine miscebant. Ex quo apparet, quam salubre sit, animum a nimia facilitate assensionis cohibere interdum, atque diffidere. Sed quid tandem fiet *Jugris* illis toties controversis? undenam oriundi? Ajo, fuisse *Scythas*. Quid? Scythas, quorum nomen paulo ante exploseras, eos nunc reducis ipse? Cum Scythas dico, non nomen illud vagum & sonum sine mente dico, sed certos designo populos, sua sibi

B

lingua



lingua & regionum finibus ab aliis nationibus discretas. Quemadmodum Turcos dixi, qui lingua Turcica utebantur; ita Scythas vero & proprio nomine appello, qui loquuntur Scythice. Loquuntur autem Scythice Æstii, Fenni, Lappones, Syrāni, Permii, Mordwani, Tſcheremiſſi, Voti, Voguli, & qui ripas inferioris Irtyſchi & Obii accolunt Kondini (Oſtāki). Hi omnes communem inter ſe linguam habent, varietate dialectorum ita discretam, vt tamen communem omnium matrem facile adgnoscas. Eſſe autem hos Scythas, vel ex eo apparet, quod qui ceteris audiunt Fenni Æſtiique, eosdem Ruſſi Tſchuchonos ſive *Tſchuchos* appellare conſueverint; lacusque ille Ruſſorum ac Livonorum finibus interjectus, quem incolæ Peïpus dicunt, lacus Scythici (*Tſchudſkoje Ozero*) nomen ab iisdem Ruſſis impositum hodieque ſervet.

Fuere olim & alii populi, eodem lingue commercio cum ceteris ſociati, *Tſchuwaſchi* & *Baſchkiri*: ſed a Tataris ſubacti linguam patriam cum exotica commutarunt. Et Tſchuwaſchis quidem ſermo inter Scythicum Tataricumque medius; Baſchkiro- rum contra hodie totus eſt Tataricus. Neque

que eo magis agnoscunt cognationem vicini Tatarum, sed potius vili & propemodum contumelioso alienarum nomine (*Üschak*) convicium iis facere videntur (l). Abulgafius quoque, si quando Baschkirorum mentionem facit, conjungit eos cum nationibus non Tataricis, Russis, Volochis, Tscherkassis, Bulgaris, Turæque fluminis accolis (m). Sane si ad figuram oris totiusque corporis oculos animumque advertas; haut paulo venustiores esse Tataris, ne dicam Mongalis aut Elutis, faciemque hominum cum forma Europæorum satis congruere dicas.

## §. 9.

(l) *Stralenbergs Nord- und Westlicher Theil von Europa und Asia* p. 167.

(m) P. I. Chap. I. p. 365. *Le pays de Turan*, inquit interpres Abulgafii. Notissima illa Persarum distinctio inter regiones *Turan* & *Iran*, quo quicquid terrarum ultra laxartem fluvium patet, *Turan*, *Iran* vero nomine censetur, quod meridiem versus citra eundem fluvium porrigitur, suspicionem præbere potest, Turæ vocabulo designari desertam Kaptschaki.

## §. 2.

Horum in terras aio Jugrorum maiores olim migrasse, affinitateque cum prioribus regionum illarum incolis devinctos, in unam paulatim gentem coaluisse, pristinae linguae suae consuetudine magnam partem abolita. Hoc ipsum significare videtur & Abulgafius: „*Uguros* (Jugros), inquit, *dissensione inter ipsos orta, factoque cum ceteris popularibus diuortio, consedisse in regionibus Irtyshi fluminis* „ (n). Excedentibus patrio solo viam præter istum amnem fuisse, ibique locorum amœnitate captos aliquantisper commoratos esse, haut abnuerim. Interjecto deinde tempore, superante turba, vel omnes vel partem eorum novas sedes in Baschkiria cepisse, fontesque maxime Jaici fluminis circumcoluisse, verisimile est; & optimus quisque historicorum consentit. Paulatim latius evagati, in regiones aquiloni propiores, quos nunc *Voguli* tenent, penetrarunt, circumjacentisque montibus nomen *Ugria* vel *Jugria* a gente sua indiderunt. Iidem fuisse censentur montes, quos fabulosa

(n) P. II. Chap. 7, pag. 93.

iosa vetustas *Riphaeos*, nostri homines terræ cingulum (*zemnoj Pojas*), vocant; ab oceano glaciali ad montes, quos ab aquilarum frequentia Tatari *Aral - Dag* nuncupant, perpetuo jugo porrecti, Europæ Asiæque, STRALENBERGIO iudice (o), terminus.

Longo post tempore Jugros a *Petſchenegis* sedibus avitis ejectos esse, constans scriptorum optimæ notæ traditio est. Neque ego refragor; nam *Petſchenegi* ad A. C. 893 regiones Jaici tenuerunt. Illa autem tempestate & ipsi „ab *Uzis* pulsi sunt; „fugientesque & circumcurſitantes, quibus „locis sedes suas collocarent, quæſiverunt, „donec delati sunt in terras, quas tunc tenebant Turci, quibus bello victis ipsi in „ea regione tentoria fixerunt,„. Ita narrat CONSTANTINUS Porphyrogeneta, Græcorum Imperator. Quos autem ille Turcos, eos ceteri scriptores *Ungros* appellant (p). Annales quoque Russici produnt,

B 3 3 10 Ugro-

(o) Nord- und Westlicher Theil von Europa und Asia p. 106. sq.

(p) Comment. Acad. Scient. Petrop. T. IX. p. 383. sq. item p. 417. 421.

Ugros A. C. 898 trajecto Borysthene fluvio expugnasse Kioviam, atque hinc profectos porro, superatis Carpaticis montibus, in Dacia tandem Pannoniaque confedisse.

§. 10.

Ex collatione utrorumque scriptorum liquido apparet, quos Annales Russici *Ugros* vocant, eos Græcorum esse *Turcos* sive *Ungros*, paulo ante a Petſchenegis sedibus suis expulsos. Sedes eorum Tanaim inter & Borysthenem illo tempore fuisse, admodum verisimile est. Sed si hæc ita sunt, Ugros a Petſchenegis bis eiectiones fuisse necesse est: primo Baschkiria, iterum ex regionibus inter Tanaim Borysthenemque.

Quoquo modo sese illa habent, certe suboluit istiusmodi aliquid & aliis intra & extra Ungriam scriptoribus recentioribus. *Aeneas Sylvius* Ungros ac Scythias pellium marinarum commercio notos fuisse scribit; citat etiam testimonium *Veronensis* cuiusdam, qui quum ad Tanais ortum penetraſſet, gentem Ungrica lingua loquentem se invenisse dixerat. Rex quoque *Matthias* huiusce rei

rei non ignarus, quam a Sarmaticis mercatoribus acceperat, legatos illuci & exploratores misit, quibus cognatam gentem, si posset, in Pannoniam populis diuturno bello exhaustam alliceret (q).

### §. II.

Quod illi coniectura, peregrinantium auctoritate freti, augurabantur: idem ego rei ipsius testimonio haut paulo graviore, cognatione linguæ Ungricæ cum ceteris, quas dixi Scythicas, evincere conaber. Neque nunc opus esse puto, populos supra memoratos recensere demuo, aut eorum dialectos inter se conferre; labor ille esset cum infinitus tum parum utilis: satis erit, quod antea monui, inculcasse, linguam illorum populorum communem, varietate tamen dialectorum discretam esse hætenus, ut communis omnium mater intelligi possit. Verum tamen ne detrectare videar hoc quaecunque est oneris: visum est, harmoniam Ungricæ linguæ paucissimis vocabulis exempli gratia ostendere, *primo* generatim cum

B 4

ce-

(q) BONFINII *rerum Ungaricarum* Dec. I.  
Lib. III. p. 39.

ceteris linguis Scythicis, *deinde* figillatim cum Fennico, *postremo* cum Vogulico & Kondinico idiomate. Sed ante omnia monitos velim, quoscunque istarum rerum cura tangit, ne ante quam cognoverint iudicent, sed tum demum pronuncient, quum examinaverint postulata, quorum æquitatem quemlibet harum rerum peritum adgniturum esse confido.

Ut taceam canones tonsionibus lippisque notos, vocales in universum, & consonantes eiusdem organi, facile inter se commutari, & si qui sunt alii huiusce commatis, in examinanda dialectorum & vocabulorum alterius ab altero discrepantia: Ungricam cum ceteris in eo maxime differre deprehendi, quod, quæ reliquæ Scythicæ gentes littera *p* proferunt, eadem Ungri enunciare amant littera *f*, qua caret magna Europæarum & multo maxima pars gentium Asiaticarum. Item pro palatina *k* ponunt Ungri aspiratam: interdum omnes vocabuli litteras servant inverso ordine. Sed & hoc mihi vidisse videor, incipere eos multa vocabula a vocalibus, quibus ceteræ nationes litteram *v*, quam Græci digamma *Æoli-*

*Æolicum* vocant, præponere solent. Sic *noctem* dicunt *es*, quam alia Scytharum gentes *wei* & *moi* enunciant. Ita qui Tataris audiunt *Urus*, ii Tschuwafschis sunt *Wires*. Sic *Heneti* aliis nuncupantur *Veneti*. Mitto reliqua, & tabulam, quam promisi, subiungo harmonicam:

§. 12.

# I. Tabula harmonica linguæ

UNGRIÆ \* cum ceteris linguis

SCYTHICIS,

*Vogulica*, *Kondinica*, *Fennica*,

*Syränica*, *Permica*, *Votica*,

*Tscheremissica*, *Mordvanica*.

B 5

LATINE

\* *Nota*: vocabula Ungrica & Fennica scripta sunt orthographia patriæ linguæ, cetera ad pronunciationem germanicam sunt accommodata.



LATINE	UNGRIE	VOGULICE	KONDINICE	FENNICE
unus	eki, egi	aku	eiet	ysi
duo	ketro	kiteg	katn	kaxi
tres	harom	kurom	chulom	kölme
quatuor	négi, nelli	nille	nilha	nelja
quinque	öt	at	uwät	wys
sex	hat	kot	chöt	küs
septem	het	fat	fabat	feitsemän
octo	nyoltz	nölloü	nilha	kahdexan
novem	kilentz	öntölleü	artjang	yh-dexan
decem	tiz	loü	jöng	kymmenen
centum	száz	schaët	tot	sra
mille	czér	schötr	türres	tuhät
nubes	felleg, felhö	pul	püllen	pitwi
nox	ej	ji	at	yö
lacus	to	tu	tau	järwi
piscis	hal	kül	külh	kala
ovum	manj	möng		muna **
auris	fül	päll	pelh	kuorwar
manus	kesf	kät	ket	käsi
arbor	fat	giu	juch	pui
lapis	kö	ku	keu	kiwi
argentum	ezüst			
sagitta	nyil	njel	nodhl	nuoli
culter	kés	kätschi	kétsch	weirzi

\*\* hinc nomen insularum, Esibonia, Dania,

SYRÄNI- CE	PERMICE	VOTICE	TSCHERE- MISSICE	MORD- VANICE
ötik	ötik	odik	iktat	weigke
kük	kük	kük	kokrat	haſtra
kujim	kujina	kwim	kummul	kolma
njol	njol	nill	nillet	pille
wit	wit	wit	wüſet	wjete
kwait	kwait	kwat	kudat	kota
ſiſim	ſiſim	ſiſim	ſchimmel	ſſiſim
kakjamas	kakjamas	kikjamas	kandaſch	kauxa
ökmüſ	ökmüſ	ukmüſ	indeſch	weixa
daſf	daſf	daſf	du	käimen
ſchjo	ſchjo	ſſu	ſchüde	ſſjada
ſchurſf	ſchurſf	ſſurſf	tüſchem	toſchen
kümer	kümar	pilleſm	püllun	pjel
wol	oi	ui	jü	wei
tü	tü	rü	ſet	jarke
tscherri	tscherri	tschorik	kol	käl
kolk	-	puſf	munä	äl
pjel	pjel	pjel	pilliſch	pila
kütum	ki	ki	kit	kied
pü	pü	pü	pü	ſchuſta
is	is	is	kü	kjäw
æſfüſch	jeſüſf	aſweſf	-	-
njow	njol	nel	-	nall
purt	purt	purt	küſe	péel

*Britannia.*

## II. Tabula harmoniæ linguarum *Ungricæ & Fennicæ.*

LAT.	UNGR.	FENN.
<i>caput</i>	fő	pää
<i>cornu</i>	szarv	farwi
<i>os, oris</i>	zay	sä
<i>sanguis</i>	ver	weri
<i>aqua</i>	viz	wesfi
<i>ros</i>	harmat	härme ( <i>pruina</i> )
<i>glacies</i>	jég	jää
<i>hiems</i>	tel	talwi ( <i>Vogul. talga</i> )
<i>gallus</i>	kakas	kukkoi
<i>passer</i>	vereb	warpuinen ( <i>Russ. wo,</i>
<i>cornix</i>	varju	wares [ <i>robej</i> ])
<i>ulula</i>	bagolj	pöllöi
<i>amarus</i>	keferw	karwas

## §. 14.

III. Tabula, quæ ostendit convenientiam linguarum *Vogulicæ* & *Kondinicæ* cum *Ungrica*.

LAT.	UNGR.	VOSUL.	KONDIN.
<i>oculus</i>	szem	scham	szem
<i>lingua</i>	nyelo	nielm	nânhem
<i>pectus</i>	mely	magla	meghil
<i>jecur</i>	may	mag *	-
<i>mater</i>	anja	ank	anka
<i>grus</i>	daru	taru	-
<i>corvus</i>	hollo	kullak	-
<i>anser</i>	lud	lunt	lhünt
<i>equus</i>	lo	lu	lhau
<i>habena</i>	fek	pjech	-
<i>canis</i>	eb	amb	amb
<i>felis</i>	matfka	mütschik	müschek
<i>vermis</i>	nyü	niuch	-
<i>ignis</i>	tüz	taut	tüt
<i>mons</i>	hegj	âch	raep **
<i>folium</i>	lever	lupt	lûbet
<i>traba</i>	szan †	schun	-
<i>securis</i>	zekercze	schagra	-
<i>ruber</i>	wörösf	ur	wurta
<i>audio</i>	haktom	kolitem	-

\* Fenn. maxa. \*\* Hinc *Riphaei* montes. † *Russ. sani.*

## §. 15.

## §. 15.

Hæc speciminis loco sunt: sunt enim alia pæne dixerim innumera; quibus supersedeo.

Et si satis magna dialectorum Scythicarum cum Ungrica sit convenientia; tamen inter ceteras eminere videntur Vogulica & Kondinica. Quidni? quum Ungri, domo ex his terris profecti, impressionem fecerint in romanum Imperium: & nescio an recte sentiam, si dicam, *Jugros*, *Ugros* seu *Uguros*, unam eandemque gentem cum *Vogulis*, non re solum, sed ipso quoque nomine esse. Quantula est enim ea differentia nominum *Ugur* & *Vogul*? nam duarum liquidarum *r* & *l* quam facile altera in alterius sonum transeat, quis nescit? Jam quod supra observavi de vocabulis quibusdam incipientibus a vocalibus, queis quædam gentes litteram *v* præfigere solent, habere locum potuit & heic, ut pro *Uguri* *Voguli* enunciarent: eodem plane modo, quo nostri pro Ungri *Vengri*, *Vôt* pro *Ūt* (sic enim ipsi se nominant), & pro Olâch *Volôch*, dicere consueverunt. Sed hæc missa facio.

## §. 16.

## §. 16.

Nobilissimam Ungrorum gentem a popularibus & Asiaticis nationibus non Ungros sed *Madshar* (Magyar) appellitari, nemo est, quem fugiat. Quid, quod *Iaannes Gustavus Garber*, qui nuper in exercitu Russorum meruit rei tormentariæ præfectus, memoriæ prodidit, exstare etiam nunc ad Kumam fluvium rudera oppidi ingentis, ædificiis lapideis, fornicibus apothecarum, saxisque affabre sculptis, satis speciosa; atque a finitimis gentibus appellari *Madshar* (\*). Si quis ex ea re novam ciere controversiam, gentisque originem aliunde repetere velit; per me licet faciat, atque ego, huius controversiæ securus, quemlibet abundare suis sensibus facile patior. Quid, nonne & aliæ sunt gentes, quæ ab aliis aliter quam a suis appellantur? RUSSORUM natio a Fennis *Venetorum*, *Krævorum* contra ab Lettis nomine celebratur: GERMANI a Slavicis & Asiaticis gentibus, item ab ipsis Ungris *Nemetum*, iidem ab Italis *Tuisconum*, *Alemanorum* a Francis, & a Fennis *Saxonum* vocabulis, insigniuntur: ITALIS a Germanis

(\*) Vid. *Sammlung Russischer Geschichte* Tom. IV. p. 22. & p. 154.

ac Boëmis nomen tribuitur *Volochorum*: & ipsi Boëmi *Tschechorum*, antiquissimum gentis vocabulum, haut paulo gravioribus quam Boëmorum nomen animis auribusque accipiunt. Longum est, enumerare cetera; neque causas earum diversitatum anquirere in præsentia vacat. Quod ad urbem supra memoratam *Madshar* attinet, haut equidem abnuerim, nomen hoc illi Madsharorum causa impositum fuisse. Sed quibus tandem argumentis evincitur, aut Madsharos non esse Ungros, aut oppidum illud conditum fuisse a Madsharis? Gens vaga, in tentoriis degens, litterarum rudis, artium liberalium ignarissima, numquid vel mente concipere vel animo agitare potuit tanta molimina, captum & vires barbarorum longe superantia? Verisimile est, eos urbem hanc, cui, ut ego auguror, olim a Persis condita aliud nomen fuerat, armis expugnatam tenuisse, nomenque eius iure victoriæ commutasse, ipsos autem contentos suis tentoriis habitandam illam veteribus incolis concessisse; ceu quondam Kalmyccorum principes in Bucharía minore, item reguli Chorasmiorum, iisque finitimæ barbaræ gentes, facere consueverunt.

## §. 17.

Sed operæ pretium videtur, explorare, cur qui nobis & aliis Europæ nationibus Ungri, iidem Turcis & ceteris Asiæ incolis *Mauſhari* audiant? id quod pro mea sapientia, quam sane perexiguam esse dudum sentio, excutere aggrediar. *Rubruquisius* monachus, legatus a Franciæ rege Ludovico S. ad magnum Mogolorum Imperatorem missus, terram *Pascatir* Ungrorum esse patriam, & populum utrumque eiusdem lingue commercio iunctos esse, testatur (r). Eriam Ungrorum iam demonstravi originem: tamen non contemnenda videtur auctoritas viri, qui regiones istas mente, oculis, pedibus emensus est: maxime cum ex mendacio rei nihil ad se pertinentis nullum fructum capere aut sperare posset. Percommode sane, quum situm illius tractus describit, Iai-kum amnem in eo oriri tradit. Ex hoc enim intelligitur, quam terram *Rubruquisius* nominat *Pascatir*, eandem ipsam esse *Baschkiriam*

(r) chap. 23. de son *Voyage* p. 47. it: chap. 7. p. 14. & chap. 39. p. 89. Idem testatur CARPINUS art. 5. p. m. 48.



kiriam supra memoratam; situs enim regionis, lingua, & nomen ipsum, per omnia consentiunt. Jam vocabulum illud varie atque ab aliis aliter effertur: *Carpinus*, alius monachus, qui paucis ante Rubruquisium antisfamilem legationem susceperat, eandem terram nomine signat *Batscharia* (s). Quam facilis iam via pateat ad formandum nomen *Matschar*, in aprico est: formatur enim mutatione unius litterulæ *m* pro *b*, quarum utraque est labialis. Gemina huic mutatio occurrit apud eundem scriptorem in vocabulo *Bisfermin* (t): diu mecum meditatus sum, quamnam ille ex tot, quas recenset gentes, potissimum destinaret? Tandem deprehendi, omnes, qui Muhammedis sectam sequuntur, hoc vocabulo designari; *Musulmanos* inquam, quos vulgus quoque Russorum depravata pronuntiatione *Busurmanos*, & vero si recte memini convicii causa, appellare consuevit, nomine, quo illi gloriantur.

§. 18.

Ex dictis liquido constat, Baschkiriam cum Matscharia non nisi pronuntiatione differre.

(s) *Voyage de CARPIN* art. V. p. 48.

(t) *CARPIN* chap. V. p. 3. & art. V. p. 47.

ferre. Jam cum Matschari Jugrique eadem terras incoluerint, quique annis post Christum natum circiter nongentis Pannoniam armis occupatam tenuerunt, tenentque hodie, Matschari ab aliis, ab aliisque Ungri vocentur: eandem utique gentem utrosque esse, citra controversiam est. Ludibriumne illud nomen, quorum alterum universale, alterum particulare est, veluti si Saxones opponas Germanis? an Jugri magis in septentrionem, Matschari in meridiem versi, finitimis gentibus hi magis quam illi ignotuerunt? an quia Matscharorum tribus nobilitate, fortibus factis, vel numero inter ceteras excelluit, pro gentis nomine nomen tribus evaluit? Omnia hæc velut incomperta in medio relinquo. Certe qui per Russorum fines in Pannoniam intrarunt, annalibus Russicis *Ugrorum* nomine, non *Matscharorum*, inclaruerunt. Et notatu dignum est, eandem illam gentem hodieque ab Russis *Ungros* sive *Wengros*, a ceteris nationibus Slavicis Matscharos, appellari: quo magis adducor, ut credam, hanc appellationem, ab Russis natam, paulatim per ceteras Europæ gentes divulgatam esse.

## §. 19.

Quæ adhuc AA. de Ungris disputavi non eo spectant, ut illos Baschkiriæ vel Jugricorum montium primos asseram colonos. Ipsi erant advenæ, maioribus orti, quorum natale solum fuerat, quod supra declaravi, provincia *Turfan*, circumiectæque huic regiones. Quo tempore emigraverint prisce illi Jugri, non constat; neque multo certius est, quam locuti fuerint linguam. Si tamen locus est aliquis coniecturæ, Tataricæ ufos fuisse suspicari licet. Certè quos Abulgasijs memorat *Tokos - Ugur & On - Ugur* (u), originem arguunt Tataricam: nam *tokos* eorum lingua novem, *on* decem significat: & ipsum principis nomen *Idi - kut* (x) Tataricum est, *kuta* enim sive *kutay* Tataris est deus: & Rubruquisius Tataricæ sive Turcicæ linguæ originem ab Jugris repetendam esse censet (y). Superfunt sane & hodie in Ungrica lingua multa Tataricæ vestigia, id quod eorum gratia, quibus talia cordi sunt, speciminis loco spectandum exhibeo tabula infra scripta:

Ta-

(u) *Hist. géneal. des Tatars* II. P. chap. 7. p. 92.(x) *Ibid.* p. 93.(y) *Voyage en Tartarie* chap. 28. p. 58.

# Tabula harmonica linguæ Ungricæ cum Tatarica. \*

LAT.	UNGR.	TATAR.
<i>ventus</i>	bél	czel, czil
<i>arcus</i>	iy	ja, jai
<i>taurus</i>	bika	buga, buka
<i>capra</i>	ketske	ötſchki, etſchki, itſchki
<i>gallina</i>	tyuk	taúk
<i>bordeum</i>	arpa	arpa, arbà, arbay
<i>triticum</i>	buza	buday
<i>magnus</i>	öreg	ulug, uluk. <i>Ruff.</i> welik
<i>parvus</i>	kitſin	kitſchu, kitſchik
<i>ebrius</i>	refseg	efſrig
<i>edo</i>	efſöm	aſchidm [Tat. <i>Teleút.</i>
<i>bibō</i>	iſſom	itſchedm [Tat. <i>Teleút.</i>
<i>loquer</i>	ſſöllok	ſjulja [Tat. <i>Katſch.</i>
<i>equito</i>	nyargalok	jurgalü [Tat. <i>Tobol.</i>

## §. 20.

Deprehendi & *Indica*, vel ſi mavis *Persica*, in hoc idiomate vocabula, qualia ſunt:

C 3

LAT.

\* *Nota*: vocabula *Ungrica* ſcripta ſunt orthographia patriæ linguæ, *Tatarica* ad pronunciationem germanicam ſunt accommodata.

LAT.	UNGR.	INDICE & PERSICE
<i>unus</i>	ekj	ik
<i>decem</i>	tiz	dösf
<i>mille</i>	ezer	hezar.

Sed ante omnia nomen DEI, quod Ungri *Isten* efferunt, admodum memorabile est. Versavit mentem diu ea cogitatio, unde nam illud nomen Europæis auribus tam inusitatum, quidve denotaret? Tandem revocavi in memoriam, esse idem illud nomen, quod Persæ ignicolæ tribuunt Deo (z). Qua ratione & originem ipsius vocabuli mihi cernere visus sum: est enim ea appellatio ab igne, qui Chaldæis (& a Chaldæis cultum ignis acceperunt Persæ) *Eschta* dicitur. Ab eodem vocabulo *Vesta* quoque nomen derivari censent eruditi, & mea quidem sententia recte (aa). Fortasse ipsi aliquando Jugri superstitione magorum imbuti fuerant: fane in plurimis Sibiriae populis religionem veterum Persarum deprehendisse mihi visus sum.

## §. 21.

(z) Persæ ignicolæ Deum nominant *Yezd*: vid. d' HERBELOT art. *Fars*.

(aa) vid. Matth. HILLERI *Onomasticon sacrum*, via XV. p. 664. Ant. THYSII not. in *Sall.* p. 35.

## §. 21.

Quid autem ex tanta rerum atque verborum convenientia aliud colligi potest, nisi Jugros, postquam domo profecti alias sedes petierunt, non uno ut ita dicam volatu Baschkiriam intrasse, sed in itinere, prout fata ferebant, aliis atque aliis locis, imprimis autem in finibus Persiæ, diu commoratos esse, atque ita medios inter hos atque Tataros, contagione utriusque gentis, multum ex eorum lingua, moribus, religione traxisse?

Et nisi me omnia fallant, hi sunt, quos Procopius *Ephthalitas* nominat, a quibus Perrozem ait regem Persarum occisione deletum esse cum omni exercitu (bb). Nam & Jugris gravia cum Persis bella intercessisse, testantur annales Russici, qui tamen non Perrozem, sed Chosroem memorant. Sed cum eosdem ille vocat Hunnos, mea quidem sententia fallitur. Quid enim simile? Hunni tetra facie, colore fusco; Ephthalitæ cute candida, habitu oris decoro: hi sedes fixas tenere; illi quoque versum, quo ferret impetus, vagari: Hunni ferinam vi-

C 4

tam

(bb) *de bello Persico* Lib. I. cap. 3. & 4.

tam agere, reges suos legesque iuxta contemnere, fidem fallere, nisi expedisset; Ephthalitæ legibus contineri, æquitatis & iustitiæ fama inclyti esse. Denique longe alteri ab alteris dissiti, nullo commercii iure sociati, neque omnino noti inter se erant.

## §. 22.

Sed hæc hætenus; neque enim ulterius in hoc stadio mihi in præsentia progredi liber. Summa huius exercitationis est, antiquissimam Jugris patriam circumiectas *Turfana* regiones fuisse; ex quibus profectos, longo errore viarum, variisque casibus conflictatos, tandem consedisse in *Baschkiria*; hinc longo temporis intervallo, pulsos a *Petschenegis*, refugium quæsisisse in romano Imperio, atque in *Pannonia* demum sedes quietas cepisse: linguam autem eorum maximam partem ex Tatarico atque Scythico, imprimis *Vogulico* idiomate, conflatam esse.

DIXI.

Scripta est hæc Dissertatio Anno 1756.

II.

**II.**  
**CONIECTURÆ**  
**DE**  
**GENTE ET NOMINE**  
**TATARORUM**  
**ITEM DE PRISCIS**  
**MOGOLIS**  
**EORUMQUE LINGUA.**

C 5







## II. DE ORIGINE TATARORUM.

---

### §. I.

**A**rduum sane opus, & multis difficultatibus implicitum, hominem orientalium linguarum rudem conari quicquam, quod sit memoria dignum, de his gentibus scribere: tantoque impeditior est iste conatus, quanto minus rerum orientalium scriptores operæ duxerint pretium in contexenda de TATARIS historia perpetua. *Persæ* enim & *Arabes* vix eorum mentionem fecere, non quod

quod plane ignoti fuerint, sed quia notiores fuerant alio nomine. *Sine*, nativo fastu elati, neglexere Tataros quasi barbaros: despiciunt enim & infra se putant omnia, quæ non ambitu moenium suorum continentur, quamvis ex ipsæ gentes superbiam eorum multis cladibus & everfione urbium haud raro castigaverint. Itaque & *Europæis* penitus ignoti fuere, donec *CZINGIS CHANUS* & eius successores, eruptione facta ex desertis suis, maximam *Asiæ*, neque exiguum *Europæ* partem, velut *Oceanus* terris superfusus inundaverunt. Tum demum *Tatari* & *Europæis* innotescere cœperunt, & maximis illatis cladibus, rapinis, incendiis, excidiis urbium, & vastitate terrarum, magnam sibi famam pepererunt. (a).

Itaque ego hisce subsidis destitutus nihil aliud polliceor, quam conclusiones, quas quidem ex sedula lectione & collatione recentissimorum auctorum eorum, qui de rebus *Sinicis*, & item aliorum, qui de *Tataricis* rebus scripsere, coniectura elicere potui. Hoc tamen præ me fero, me nihil alla-

(a) Vld. *Epistola Prædicti II. Rom. Imp. ad Brabantia ducem*, apud *BERGERONIUM*.

allaturum, nisi quod idoneis testimoniis confirmare possim: itaque iudicia ista qualia, cunque, tamen nitentur fundamento stabili, & (absit invidia) videor mihi, dum vestigia utriusque generis scriptorum diligentius persecutus sum, deprehendisse interdum phænomena historica, quæ utrisque la-  
tuerunt.

§.

Europæi occidentales appellare solent TATARIAM omnes eas regiones, quæ ab ostiis *Danubii* fluminis, cæciam versus, ad litora septentrionalia *Ponti Euxini*, & circa *Maotip* palydem, porriguntur: porro in Asia omnem tractum earum regionum, quæ a mari *Caspio* ad extrema litora *oceani orientalis* protenduntur, atque a meridie mari *Caspio*, *Transoxiana*, *India*, & *Sinarum* imperio, a septentrionibus *oetano glaciali* terminantur. At dicunt nomen unum, non unam gentem; confunduntur enim nationes lingue, moribus, cærimoniis, habitu corporis, diversissimæ. Faciunt hi Tataris, quod veteres *SCYTHIS* fecere, quibus fere eosdem fines posuerunt; nampe omnes in Asia gentes, quas non norunt, communi  
no-

nōmine TATAROS designant. Sed nimio isto studio spargendi, quam latissime potest, Tatarorum nōmen per terrarum orbem, faciunt, ut rerum peritioribus nusquam fere appareant. Ceterum mihi hoc loco propositum est, paucis ostendere,

I. priscos illos *Tátaros*, in confiniis Sinarum positos, nullo nec sanguinis nec linguæ vinculo copulatos fuisse cum iis, qui hodie audiunt Tatari, sed esse plane alienigenas;

II. gentes illas, per Asiam Europamque sparsas, quas communi vocabulo Tataros appellare solemus, originis esse *Turcicae*;

III. *Mogolos* priscos ante Czingis-Chanum pariter fuisse originis *Turcicae*, cognatione iunctos cum iis, quos hodie Tataros vocamus, eademque lingua usos fuisse;

IV. Mongalos, qui sunt hodie, ex colluvione variarum gentium, præcipue *Kalmakorum*, natos, eorum & linguam adoptasse.

§. 3.

## §. 3.

Fuit igitur aliquando gens, peculiari TATARORUM nomine insignita, ii inquam, qui sæpe a *Sinis* domiti subinde rebellaverunt (b), postremo a *Czingis-Chano* devicti, in potestatem cessere victoris (c). Pars eorum, *Abulgasto* teste, ab antiquissimis inde temporibus consedit in finibus *Si-narum*, iis in locis, quæ sunt circa *Biurnaver*; alia manus occupavit regiones, quas permeat *Ikar* seu *Ikan* fluvius (d). Res ipsa postulat, illam vocem *Biurnaver*, quæ ceteris gentibus est ignotissima, eam ut pro ingenii nostri modulo paulo fusius explicemus. De *Ikar* flumine dicendi erit locus alius.

*Biurnaver* aio nomen fuisse lacus, sed lacus insignioris, cuius litora & circumiacentes regiones tantam multitudinem, quanta Tatarorum fuerat, caperent. *Naver* idem est quod *Nor*, quæ vox lingua Mogolica significat lacum. Sunt autem multæ voces

(b) ABU'L - GASI - Chani *Historia Tatarorum genealogica*, Part. II. cap. 9. pag. 105.

(c) Idem P. III. c. 2. pag. 167. GAUBIL de *Dynastia Mogolica*, p. 5.

(d) ABU'L - GASI pag. 104. sq.

ces a Mogolis & cetera Turcarum progenie contractius enunciatae, quas Persae diducant: v. g. voces, quas antiquiores Turcae pronunciant *Labor*, *Noyan*, *Kur - Chan*, *Unk-Chan*, *Mirkond* ceter., Persae reddunt plenius *Labaver*, *Nevian*, *Kavar - Chan*, *Aunak* - five *Avenak - Chan*, *Mirkavend*. Itaque non mirum est, Abulgasium, qui maximam historiae suae partem ex Persicis scriptoribus hausit, eorum quoque enunciationem & orthographiam imitatum esse.

Quando igitur voces *Nar* & *Naver* unam eandemque habent significationem, solaeque enunciatione differunt; restat vestigandum, qui potissimum lacus voce *Biurnaver* (*Boronor*) designetur? In finibus Sinarum haud alium videre est insigniorem celebrioremque lacum, quam eum, quem incolae nostra aetate vocant *Koko - nor*; aequat latitudinem X. miliaria magna, at longitudine superat vel XX (e). Itaque ego haud invitus sententiae eius subscripserim, qui statuerit, vocibus *Biur - naver* & *Koko - nor* unum

(e) Vid. du HALDE *Descriptio geographica & historica Imperii Sinici & Tatariae Sinensis*, Tom. IV. p. 76.

unum idemque designari. Quod si quis diversitate illarum vocum offendatur, hunc ego monitum velim, historiarum Abulgasianarum nomina propria, prout in Gallica editione leguntur, mirum in modum foedata atque corrupta esse, ut iam neque Persarum, neque Sinarum, neque ipsi Mogoli agnoscant: cui rei confirmandae sufficiat ex multis exemplum afferre unum. Montem, in quo natus est Czingis - Chanus, Persarum vocant *Diloun Joloun* (excepto uno Mirkondo, qui vult *Diloun Jaldak*) (f); Sinarum hoc idem nomen enunciant *Tc-yuei-luen Pan-ta* (g), pro genio linguae satis bene, opinor, quod ad priorem vocem: contra versio historiae Abulgasianae habet *Blan Fuldak* (h). Apparet, locum Czingis - Chani natalem a trium generum scriptoribus luculenter satis monstratum esse; sed apparet quoque, interpretem Gallum omnium quam vitiosissime expressisse. Quod si nobis copia esset ipsius autographi Abulgasiani inspiciundi; nullum equidem

(f) HERBELOTI *Bibliotheca orientalis*, Tit. *Gengbizkan*.

(g) GAUBIL de *Dynastia Mogolica*, pag. 1.

(h) Part. III. cap. 1. pag. 156.



quidem dubitum est, quia hoc ipsum nomen, de quo nunc quaestio est, aliter expressum legamus.

§. 4.

Tenuere igitur verustissimi Tatarorum terras, qui nunc a *Kokonorensibus* inhabitantur, gente Mongalica eorum, qui nunc vulgo *Kalmaki* audiunt, suo autem sibi nomine *Choschotani* appellantur. Continentur iis finibus, ab oriente provinciis *Shensi* & *Szechuan*, a septemtrionibus & ab occidente desertis sabulosis *Gobi*, & a meridie regno *Tibetano* (i). Hanc veram fuisse veterum Tatarorum sedem, adstipulatur & ipse Abu'l-Gasius, quamvis nescius & aliud agens. Ait ille, *Tatarum*, Tataricæ gentis auctorem, temporibus *Oguzi*, Mogolorum Chani, imperitasse urbi *Dsurdsut*; eam esse positam in finibus Kitaicæ, eandemque ab Indis Persisque vocari *Zinu* (k). Alio autem loco scribit (l), *Mangu - Chanum*, successorem a Czingis-Chano tertium, in obsidione urbis *Zinu*

(i) du HALDE, Tom. IV. p. 50.

(k) pag. 40, collata cum p. 123.

(l) pag. 382.

Zinu periisse. Perit autem *Mangu - Chanus*, cum oppugnaret urbem provinciae *Sit - czoana CHO - DSHOU* (m). Zinu igitur Persarum, & Sinarum *Cho - dshou*, unam eandemque urbem indicant.

Haud equidem sum ignarus, & aliam esse urbem eiusdem nominis in finibus provinciae *Shensi*, initio belli Sinici a Czingis-Chano occupatam, & hanc puto eam esse ipsam, quam heic designat Abulgafius (n); neque abnuerim, errorem aliquem in confundendis duobus oppidis obrepisse. Sed quid vetat credere, duo illa oppida, quæ homonyma fuere Sinis, homonyma quoque fuisse Indis atque Persis? Quid, quod ne homonyma quidem recte dici possunt. Sanè *Cho* in lingua Sinarum & *ignem* significat & *fluvium*. Sed Sinæ hæc duo nomina quum in charta ponunt, diversissimis utuntur characteribus; & quum enunciant, ita enunciant, ut ipsi quidem Sinæ discernere queant, quamvis discrimen illud Europæorum aures, Sinicis sonis parum adsuetas, sapissime fugiat. Quicquid illius sit, vetustissi-

D 2

mam

(m) GAUBIL. de *Dynastia Mogolica*, p. 121.

(n) *Id.* pag. 50.

nam illam priscorum Tatarorum sedem, quam vocat Abulgafius *Dfurdſut*, illud idem esse oppidum *Cbo - dſhou*, positum in finibus provinciae *Sbenſi*, haud procul a *Cboangcho* (Croceo flumine), latitudine circiter 36, longitudine autem quarto decimo a Pekini Meridiano occidentem versus gradu, verisimillimum est. Et videor mihi, deprehendisse in nomine *Cbo - dſhou* originem vocis *Chofſhot*: sed hanc coniecturam in medio relinquo.

### §. 5.

Hos, quos dixi, *Tataros* cum ceteris eius tractus incolis lingua, quam hodie loquuntur Urati & Mongali, usos fuisse puto; ea enim hodieque inter omnes earum regionum incolas in usu est. Quibus autem in terris sermo, quem nunc Tataricum vocamus, viguerit, ostendetur infra.

Fuere & alterius generis *Tatari*, quos historia Sinica vocat *albos* (o), custodes mœnibus Imperii Sinici appositi. Hi in historia Abulgafiana audiunt *Unguti*, vel potius *Unguli*; qua voce lingua Sinica *mu- rum*

(o) *Id.* p. 10.

*rum* significari, ait idem Abulgafius (p). Sed errorem hunc & vidit acutissime & felicissime correxit BAIERUS noster, in locum corrupti illius *Ungu* sive *Unguli* substituendo *Uan-Ly*, i. e. *decem millia stadiorum* (q) (& stadia censentur Sinica, vulgo *Ly*, quorum bina singulas Russorum Verstas spatio quam proxime contingunt): tanto enim murorum ambitu munitur Sinarum Imperium. Ceterum hi Tatari cum iis, quos ante dixi, neque cognatione neque sermone coniuncti sunt. Albi enim illi Tatari sunt ab antiqua progenie Turcarum, & vernacula fuit Turcica, quæ quidem ab ea, quam nunc appellamus Tataricam, non nisi dialecto differt.

## §. 6.

Habes, L. B. gentem Tatarorum, non illam quidem toto, ut ita dicam, orbe dispersam, sed suis limitibus clausam, ex magna priscorum Turcarum progenie familiam uuam, immo si mihi credis, ne familiam quidem, sed gentem prorsus alienigenam.

D 3

Quo

(p) Part. II. cap. 11. pag. 119.

(q) In *Commentariis Acad. Sc. Petrop.* Dissertatione de *muro Caucasico* Tom. I. pag. 438.

Quo magis mirandum est, nomen Tatarorum ignobile per orbem terrarum ita invaluisse, inditumque esse tot gentibus, quamvis invitis & aspernantibus. Nam qui nunc vulgo audiunt Tataři; præsertim Muhammedani, hoc nominis neutiquam agnoscunt, & contumeliæ propemodum loco ducunt. Neque auctores vel Perfici vel Turcici, qui res priscorum Turcarum memoriæ prodiderunt, mentionem Tatarorum faciunt; argumento potest esse vel unus Abulgasius, qui de Tataris veluti de vna ex multis aliis tribubus loquitur, quum ceteras gentes, quæ apud imperitos rerum uno nomine Tatarari appellantur, persequitur, tum vero unamquamque gentem suo sibi nomine citat, Tatarici nominis penitus oblitus. Neque vero in titulis Chanorum vel Buchariz vel Chorasmiæ vestigium Tatarici nominis usquam existit. Sane titulum Crimensis Chani in *Collectionibus Russicis* ita instructum legi (r): *Dei gratia magnæ Horde (magni Jurti), Kipczakenfis deserti, Crimensis dominationis, innumerabilium TATARORUM, immensæ multitudinis Nagaicorum, Tatzensum & Tefzensum, Intramontanorum Czircasse-*

(r) Parte II. pag. 28.

*clifforum Magnus Dominus.* Si titulus iste verus est atque genuinus, quæram equidem libenter vel ex ipso Chano, quem potissimum populum nomine *Tatarorum* designari cupiat? Nominatim enim citat omnes terras populosque, quibus imperitare postulat, ut iam Tataris nihil sit reliqui: nisi malis, eum vulgari consuetudine abreptum Tataros dicere, quos tamen ipse auctores generis sui non agnoscit; satis enim constat, eum recta linea a Czingis-Chano descendere, qui non erat Tatarus, sed Mogolus (s).

Sed vetus est iste error, qui iam a Czingis-Chani ætate, aut certe non ita multo post, per orbem terrarum increbuit: & nescio quo fato accidit, ut Mogoli, rerum per universam Asiam domini, devicto Oriente, immo his ipsis Tataris victis ac sub iugum missis (t), vellent, nollent, invisum *Tatarorum* nomen gererent tamen, nationisque victæ imponeretur nomen populo victori, quod tamen ipsi aspernabantur, suo

D 4

Mo-

(s) ABULGASI Part. VII. cap. 3. p. 469. cf. p. 399. *la remarque.*

(t) GAUBIËL de *Dynastia Mogolica* princ. it. pag. 5. cf. ABULGASI p. 167.

Mogolorum nomina satis sibi placen-  
tes (u).

§. 7.

BAIERI nostri, τὸ μακρότερον, senten-  
tia est, "Ogtai - Chani, Czingis - Chani filii  
„& successoris, duces binis exercitibus eo-  
„dem tempore incurfionem fecisse, hos in  
„trans - Volgas provincias, illos in Per-  
„siam. Trans Volgani agminis, ait, ex  
„Tataris maximam partem, alterius exer-  
„citus milites collectos esse ex Mongalis.  
„Hinc factum esse docet, ut Mongalorum  
„nomen apud Armenios, Persas atque Ara-  
„bas, Tatarorum autem in nostris regionibus  
„magis innotesceret" (x). Huic com-  
mento & fides historica refragatur, & ratio  
sanioris Politicæ. Neque operæ pretium vi-  
detur redarguere, quæ falsa esse nostro tem-  
pore quilibet rerum peritus agnoscit. Alue-  
runt sane Mogolorum Imperatores innu-  
meros exercitus, quantos neque antea ne-  
que postea quisquam conficere potuit. Ha-  
buit Ogtai - Chanus plus quam quindécies  
centena millia lectissimorum militum instru-  
cta

(u) Vid. RUBRUQUIS. cap. 18. ext. p. m. 35.

(x) *Collect. Russ.* P. II. p. 82.

Et atque parata (y): at ex tanta multitudine vix vicesima fuerat vel Tatarorum vel Mogolorum; ceteri ex Sinis, Kitanis, Kara-Katainis, Persis, Korassianis, Transoxianis, & Kipczakanis, in supplementum accessere; sed multo maxima pars ex tribubus Turcicis, qui nunc perperam appellantur Tatari, conflati sunt.

Apparet, rationem Baierianam levis admodum esse momenti. Vera ratio est, quod Arabes atque Persæ *Mogolos* ut viciniore noverant; *Tataros*, ut gentem ignobilem, & ad extremos terrarum angulos relegatam, penitus ignorarent. Turcicam quidem progeniem, i. e. stirpes illas, quas nostrates falso nomine appellant Tataricas, satis noverant. Regnarunt enim in Korassania, Persia, Chorasmia, & ceteris Imperio Saracenico subiectis gentibus Gaznevidæ, Seldschukidæ, Chorasmiorum Schahi, & alii plures, omnes Turcicæ originis. Et hoc ipsum nostræ causæ mire faver; nam si fuissent Tatari in illis oris, equidem eorum meminissent rerum orientalium scriptores: maximo argumento, in gentem genuinam

D 5

Tur-

(y) GAUAIL de *Dynastia Mogolica* p. 90.



Turcicam fictitium Tatarorum nomen irrepsisse.

§. 8.

Nominis autem Tatarici per Europam divulgati origo repetenda mihi a *Sinis* videtur, qui priscos illos Tataros sibi finitimos, eosdemque infestos & graves, satis benemerant: postea vero quum & alias gentes, quibus idem mos vivendi, idem studium, eademque ferocia inerat, nosse cœpissent, omnes indiscriminatim pro Tataris habuere; quorum e numero Mogoli quoque fuerunt, quos interdum simpliciter *Tataros* (z), aliquando etiam differentię causa *Si-Ta-dsü* (Tataros occidentales), & ludibrii causa *Tsao-Ta-dsü*, i. e. Tataros putidos, vocare solebant (a). Tali modo Tatarorum nomen per universam Asiam, ab ultimis Orientis terminis ad Europę confinia usque, serpsit; eodem fere sensu, quo Græci vocibus *Scythæ* & *barbarus*, Muhammedani Sibirienſes vocabulo *Uſchtäk*, dictione *Gojim* Judæi

(z) GAUBIL p. 20. (1.), p. 23. (1.), p. 70. (1.).

(a) du HALDE Tom. IV. p. 44.

Judæi, Arabes denique nomine *Agem*, utuntur (b).

Quod si quis, testimoniis hisce insuper habitis, quærere instet, quâ fieri poterit, ut nomen alienum ab ultimo Oriente ad extremas usque Occidentis plagas manaret: ex hoc ego quæram vicissim, quâ fiat, ut invisum *Kalmakorum* nomen iam omnium in ore sit, quum tamen ipsi a prima origine appellarentur, appellenturque & hodie a vicinis populis, *Urati*? aut quo facto accidêrit, ut apud omnes Muhammedanos Sunnitas *Kisil - baschorum* (rubrorum capitum) nomen ipso *Persarum* nomine celebratius sit? Nempe homines ita solent, iocularia & ludibrii causa excogitata promptius arripiunt, firmitusque tenent, quam quæ recta ratio & æquitas dicant. Ceterum ne  
moras

- (b) HERBELOT tit. *Agem*: ce mot signifie en langue Arabique ce que *Barbare* signifie en grec; car il comprend tout ce qui n'est point Arabe d'origine: mais en particulier il signifie la *Perse*. Suivant la signification generale, lorsque l'on dit en Orient *Arab* ú *Agem*, l'on entend toutes les Nations de la Terre. Le Sultan des Turcs prend la qualicé de *Soltan al Arab* ú *al Agem*, qui signifie le Roi de toutes les nations du monde.

moras necesse, neve frustrando elabi velle videar: aio simpliciter, eam ipsam gentem, quæ Orientem devicit, devicisse quoque Occidentem. Jam illa gens a Sinis *Tatarorum* nomine insignita fuit; mansit ergo hoc nomen, & propagatum est ad Occidentis terminos, iis ipsis qui gerebant aspernantibus, & iniquo animo ferentibus, ut supra demonstratum est.

### §. 2.

Cum prisca illa Mogolorum gente, & consanguinitate, & commercio linguæ, coniunctæ fuerant omnes nationes Turcicæ, quæ lingua, quam nunc Tataricam vocamus, utebantur: puta nationes ab Jaxarte flumine septemtrioni obversæ, quos antiquitas *Kanklos*, *Getas*, *Karakitainos*, nos autem *Karakalpacos*, *Kirgiso-Kaisacos*, & *Turkestanos* cognominare solemus; item gentes, quæ nunc sunt sub dominatione Russica, veteres regnorum *Casani* & *Astrachani* incolæ, & in vastissimis Sibiricæ desertis silvarumque solitudinibus *Tūmenenses*, *Tobolenses*, *Tarenenses*, *Barabai*, *Tomenses*, *Czacenses*, *Czulimai*, *Jakuti*, cet. Superstitio quoque fuit omnibus eadem, donec pars ad Muhammedis ritus,

ritus, ceteri ad Christianas leges, vel sponte irent, vel inviti traherentur. Superflua tamen hodieque non pauci, in antiqua peravicia perseverantes. Limitibus olim angustioribus continebantur; protulere eos, auspiciis CZINGIS-CHANI & successorum eius, occidentem versus ad mare nigrum & ad ostia Danubii fluminis, & in Sibiria aliquibus in locis ultra sexagesimum latitudinis gradum. Et nunc habitant inter gentes nec sanguine sibi neque sermonis vinculo sociatas, quas iure suo vocare barbaros queant, *Morduanos*, *Czuvaschos*, *Votz*, *Vogulos*, *Ostios* varii generis, *Arior*, *Katonos*, *Kamaschos*, & plures alios. Ex hi quidem, quantum coniectura licet assequi, antiquiores illis ipsis haud dubie fuerunt; sed arbitrio victorum vel sedibus suis pulsati, vel caedibus imminuti sunt, ceteris fervile iugum subeuntibus.

#### §. 10.

Non dubito, fore, qui hanc meam de Mogolis atque Tataris sententiam aspernentur, quasi cum veritate historica non satis consentientem. Non agam astute, sed quaecunque contra hoc systema dici possunt, ingenue

genue proferam. ABULGASIUS ipse  
*se commemoratum*, ait inter *Kalmaks* annum  
 vertentem, ibique didicisse *Turcice* sive *Mongalice*; eadem lingua conscripsisse historiam  
 suam, quo esset usui ex aquo omnibus (c).  
 Itaque secundum Abulgasium, si modo re-  
 ste vertit interpret Gallus, antiqua lingua  
 Turcica est hodierna Mongolica. Si hoc  
 sentit Abulgasius, fallitur, neque unum ha-  
 bebunt secum consentientem popularium, qui  
 nulla re magis quam origine Turcica glo-  
 riantur. Sane Turcæ sunt, qui loquuntur  
 Turcice. At Tatari (liceat eos ita appella-  
 re, quando in præsentia non alia succurrit  
 vox) loquuntur Turcice; quod manifestum  
 fit ex comparatione eorum idiotismi, & idio-  
 tismi Turcarum occidentalium. Ergo Ta-  
 tari, non Mongali, sunt Turcæ. Præci au-  
 tem Mogoli fuere Turcæ, quia locuti sunt  
 Turcice.

Ceterum locus ille Abulgasianus meri-  
 to suspectus est falsi, qui dicat, historiam  
 Turcarum genealogicam conscriptam a se  
 Mongalice, ut omnes ex ea fructum capere  
 possent. Numquid notior est Mongolica

lin.

-(c) pag. 79. seq.

lingua in Turkestania, ambabus Buchariae & Chorasnia, quam Tatarica lingua, quae ibi iam est vernacula? Quid? Mongalorum vel Kalmakorum causa scriberet Abulgafius Mongalice? quorum alteros parum noverat, alteros capitali & hereditario odio belloque persequeretur ut æternos hostes; a quibus tamen parum gratiae retulisset, spreturis haud dubie rem, ad illustrationem gentis suae nihil pertinentem. Nullum igitur dubium est, quin patrio sermone suam scripserit Abulgafius historiam, quam populares sui legere intelligerentque.

## §. II.

Idem Abulgafius alio loco haud obscuro indicat, regnante in Irania *Gazan-Chana*, Hulaku-Chani abnepote, linguam quam intulerant Mogoli victores, ibi locorum in desuetudinem abiisse (d). Est fortasse, qui arbitretur, linguam, quam intulere victores, mansuram fuisse salvam, si fuisset Tatarica: nam ea & in circumiacentibus regionibus ad nostram ætatem perseveravit, e.g. in *Chorasnia*, in qua provincia ante Mogolicum bellum, HERBELO-

TO

(d) ABULG. p. 78.

pro teste (e), Persicæ linguæ usus viguit. Consentaneum ergo videtur, eam prorsus alienam & ipsis Tataris fuisse barbaram, quam facile periret. Sed fata vicissitudinesque linguarum mihi ignorare videntur, qui hæc ita disputant. Perit lingua indigenarum, vel certe maximam mutationem subit, I. quum hostis alienigena terras devictæ gentis occupatas tenet, in iisque domicilium suum figit; II. quum pars alienigenarum quam indigenarum maior, vel certe potior est; III. quum res forenses, & alia negotia publica, lingua curantur exotica; IV. quum duæ gentes miscentur affinitatibus, & ex diuturna utrarumque consuetudine amicitia & familiaritas nascitur. Hæc omnia neglexere Mogolorum principes in Irania: ipsi sese mutuis bellis cædibusque obtrivere, neque progenies eorum ultra centum annos duravit. Itaque nec eorum linguæ altas in istis regionibus radices agere potuit; intercidit igitur peregrina, superstite vernacula: manserunt tamen nonnulla barbaræ linguæ vestigia. Sed hoc fatum Persicæ linguæ cum aliis commune est.

§. 12.

(e) art. *Mohammed Kotbeddin, Kbouarezm Schah.*

## §. 12.

Altioris indaginis est, quum quæritur, quî factum fuerit, ut Mogoli terrarum orbis victores, antiqua patria relicta, alias sedes quæsitum irent? Qui parum modo versatus est in historia illarum gentium; novit sane, horrendis illis Mogolorum motibus, quibus terrarum orbis concussus fuit, miras rerum conversiones natas esse: alias gentes sedibus suis pulsas, stirpitus excisas alias, ceteros vel misera servitute pressos, vel connubiis mistos cum victoribus, ut iam multarum gentium, ante hos quingentos annos satis celebrium, ne nomen quidem existat. Ipsi victores, obsequio principum suorum mancipati, alienam Ducum suorum fortunam sequebantur; neque tamen non libenter sterilitatem natalis terræ cum ubere solo devictarum gentium commutabant. Itaque AK-MUNGALI, i. e. *albi* (sunt enim alii, quos *fuscos* appellitare solent: *hi* ultra arenosum Gobi desertum murum versus Siniicum, *illi* citra ad Tulam, Kurulunem & Ononem amnes degunt) in deserta Kipczakorum concessere (f). *Durmanni &*  
Kar-

(f) ABULGASI P. 453 &amp; 462.

E



*Karliki*, quorum altera Mogolica natio, altera in Mogolorum terris ante confederat (g), illi in Chorasmiā (h), hi ad Jaikum & Jaxartem amnes, concesserunt (i). *Kal-latschi*, si non Mogolica, tamen Mogolis affinis & finitima, in Transoxiana & Chorasania restiterunt (k). *Kunkurati*, gens inter priscos Mogolos nobilissima, quorum principes æterno connubii foedere cum regnante Czingis - Chani familia sociati erant (l), ab Orchone fluvio in ptovincias migrarunt Chortalmiorum (m). *Jugri* seu Uiguri, origine Mogoli (n), docta, ut inter barbaros, gens, quæ ceteris Mogolis & scribas dedit & litteras

(g) ABULGASI p. 154 & 89.

(h) *Id.* p. 578 & 602.

(i) *Id.* p. 482.

(k) *Id.* p. 56.

(l) GAUB. p. 5.

(m) ABULG. p. 181. coll. cum p. 585. Qui olim fluvius nomen habuit *Kalatsui*, iam vocatur *Orchon*. Vid. Allgemeine Historie der Reisen zu Wasser und Land Tom. VII. lib. 16, c. 3. p. 50.

(n) ABULG. p. 84.

ras (o), sedes primo habuit in regionibus Turfani (p), quas deinde cum desertis Kipczakorum (q), & hæc rursus cum terris Chorasmiorum seu Usbekorum cultioribus, commutavit (r). *Naimani*, potentissima olim gens, quæ confinis ditioni Czingis-Chani occidentem versus fuerat (s), & cum ipso Czingis-Chano de principatu dimicaverat, diversi abiere: alii orientem versus migrarunt, ubi & hodie tendunt (t); pars occidentem versus iidem cum Jugris collocati sunt sedibus, pariaque cum iis fata subiere (u).

## §. 13.

Sed & *Urati* (x), diversissima a priscis Mogolis natio, mutarunt patriam. Antiquis-

(o) PLAN de CARPIN art. 5. RUBR-  
QUIS c. 28. ABULGASI p. 98. GAU-  
BIL p. 33. *rem.* & p. 148. SOUCIET  
Tom. I. p. 224.

(p) GAUB. p. 13 (2).

(q) ABULG. p. 482 & 497.

(r) *Id.* p. 621. *it.* p. 745.

(s) GAUB. p. 11 (2).

(t) du HALDE Tom. IV. p. 21 & 71.

(u) ABULGASI p. 482, 497, & 601.

(x) hodie *Kalmaki*.

quissimæ eorum sedes fuere supra Ortasios, qua Choâng-cho, seu oroceus fluvius, utriusque populi limites determinat, quas sedes pars eorum hodieque tenent (y). At in historia Abulgassii genealogica exhibentur nobis Urati in media Korassania & Babylonia (z): *Kurissi*, & ipsa Uratica ratio, colonia deducta est in deserta Kipczakorum (a). Sed famam præ ceteris nacti sunt ingentem *Elti*, qui inter deserta Gobi, Imaum montem, & Buchariam magnam a meridie, & a septentrionibus inter Sibiriam positi, fines imperii ab auriferis montibus (*Altai*) ad Jor-cum flumen usque protulerunt. Quo tempore patrias sedes reliquerint, haut satis constat. Suspicio tamen, ea maxime tempestate factum fuisse, qua Ogtai-Chani posterius, spe imperii deiectioni, arma sumere contra regnantem Mangu-Chani familiam (b). Tunc enim *Haitu* princeps, Ogtai Imperatoris nepos, collecto ingenti exercitu, & vici-

(y) Vid. du HALDE Tom. IV. p. 74. & DANVILLINOVUS Atlas Sinico-Tataricus.

(z) p. 429 & 426 sq.

(a) ABULG. p. 113, coll. cum pag. 482.

(b) Vid. GAUBIL p. 98 & 106, coll. cum p. 111, sq.

vicinorum circa Altaium monrem tendentium conciliatis animis, pro rege se gessit, bellumque intulit Kublaio, Sinarum Imperatori, quod triginta vertentes annos duravit (c).

Pone iam, Elutos fuisse, quorum opibus adiutus est Haitu princeps; sequitur, eandem eos in illas regiones intulisse linguam, qua utuntur hodie Kalmaki. Quod si largiare: consentaneum est, Elutos, quum transitum facerent per terras Mogolorum, tot migrationibus vastas atque desolatas, vacua passim occupasse loca, novumque adeo extitisse populum, veteribus incolis paulatim deficientibus, prioreque sermonis usu antiquato.

#### §. 14.

Quod si cui hæc non fiant verisimilia; nescio equidem, qua ratione ex multis huius argumenti difficultatibus expedire se, atque ad quæstiones propositas satis scite respondere queat. Finge, priscos illos Mogolos eadem lingua usos olim fuisse, qua utuntur hodie Mongali: cur ergo usum vernaculæ suæ non divulgaverunt inter gentes, quas

E 3

op-

(c) *Id.* p. 147 & 230.

oppreſſerunt bello? Qui ſit, ut pleræque omnes, quas devicerunt, gentes utantur ſermone, non ut par fuerat Mongalico, ſed Tatarico? ut ipſi victores, abrogato patrio ſermone, tranſierint ad uſum & conſuetudinem novæ & inuſitatæ linguæ? Si dicas, Turcicas ſtirpes, quæ cum Mogolis militarunt, locutas eſſe Tataricæ: concedendum eſt, & Mogolos eandem linguam locutos eſſe, quandoquidem & illi Turcæ ſunt; neque enim æquum videtur, ut cauſæ, quum in ceteris coniungantur, heic ſeparentur. Sed ne ſic quidem nodus iſte facile ſolvitur. Ultro quidem largior, populos, qui ab Jaxarte flumine & Caſpio mari boream ſpectant, ſicut ſunt origine Turcæ, ita & Turcici ſermonis uſum habuiſſe. Sed quid ceteris nationibus facias, quæ, quamvis Turcas nulla cognatione contingerent, eorum tamen linguam cum iactura vernaculæ ſuæ adoptarunt: Baſchkiros dico, Czuwaſchos, Tranſoxianos, Choraſmios, Alanos, Gothos, veteres Græcos Italosque Cherſonneſi Tauricæ? In omnibus enim iſtis regionibus veteris conſuetudo linguæ exolevit, aut ita mutata eſt, vix ut prioris appareant veſtigia, in cuius locum novus Turcicæ ſ. Tataricæ

taricæ usus successit. Itaque si statuas, priscos illos Mogolos eodem sermonis genere usos fuisse, quo utuntur hodie Mongali: res sequitur mira, inusitata, insolens; duo scilicet populos ingenio, moribus, cultu, lingua diversissimos, hos victores, illos victos, ex quo communi sare in unam gentem coaluerunt, ambo quasi conspirasse in abolitionem & oblivionem vernaculæ, ut barbaram utrisque ignotam addicerent. Quæ res & rationi refragatur, & experientiæ. Observatum enim est. constanter ab innumera ætatum serie, quotiescunque duo diuersi populi in unas coiere sedes, mutationem usitatæ prius linguæ tribus potissimum factam esse, fierique etiamnum, modis: etenim *vel* deficit sensim sermo patrius, *vel* exolefcit paulatim barbarus, *vel* denique uterque populus & ab externo & a domestico sermone pedetentim recedunt, sermoque nascitur novus, utriusque vestigia servans, & ab utroque degener. At nunquam ne fando quidem auditum est, ut duo populi in unum coaliti, amisso uterque proprii sermonis usu, adsciscerent tertium ignotum ambobus barbarumque. Quanto igitur satius fuerat, id, quod res ipsa postulat, statuere, Mogolos,

Turcicam stirpem, communem cum finitimis eiusdem originis gentibus habuisse linguam, nempe *Turcicam*, quam nunc appellamus *Tataricam*. Tali enim modo quaestiones, quæ hac de re proponuntur, difficiles, impeditæ, salebrose, nullo negotio redduntur planæ atque faciles.

## §. 15.

Hoc tamen monendum puto, veterem Mogolorum linguam cum aliis linguis commune hoc habuisse, ut peculiari suo idiomate a ceteris dialectis discerneretur. In universum locuti sunt quidem Mogoli Turcice, sed ita tamen, ut contagione vicinorum populorum, imprimis Uratorum, vocabula peregrina ingenti numero usurparent, quæ hodie censentur Mongalica. In historia Abulgassii genealogica multa vocabula deprehendas, quæ priscis assignantur Mogolis, quæ tamen hodierni Mongali negant sua, Turcæ seu Tataři adgnoscent. Vicissim occurrunt, quæ aspernantur Tataři, Mongali civitate donant. Alia sunt denique, utrisque gentibus communia. Operæ pretium duxi, ex singulis generibus excerpere pauca:

*Lega-*

<i>Legatus legionis</i>	ABULG. dicitur (d)
<i>decies mille militum</i>	<i>Tumen</i> - Agasi
<i>Tribunus mille militum</i>	<i>Ming</i> - Agasi
<i>Centurio</i>	<i>Gus</i> - Agasi
<i>Decurio</i>	<i>Un</i> - Agasi

*Tumen* & *Ming* seu *Mingan* utrique populo sunt communia; sed *Gus* & *Un* sunt Tatarica, quorum alterum hodierni Mongali dicunt *Dso*, alterum *Arbà* s. *Arban*.

Oguz-Chanus, vetustissimus & celeberrimus Mogolorum Imperator, Abulgasio referentē (e), virilis stirpis heredes reliquit sex: 1. *Kiun*, 2. *Ay*, 3. *Juldus*, 4. *Kuk*, 5. *Tag*, 6. *Zingis*. At hæc nomina sunt Turcico-Tatarica, denotantque 1. *solem*, 2. *lunam*, 3. *stellam*, 4. *cælum*, 5. *montem*, 6. *mare*. Eadem vocabula hodierna Mongolorum Kalmakorumque lingua reddideris 1. *M. Narà* K. *Naràn*, 2. *M. & K. Sarà*, 3. *M. odò* seu *odù* K. *odùn*, 4. *M. & K. Tengri* sive *Tüngri*, 5. *M. oôlà* K. *uûla*, 6. *M. & K. Dalat*. Idem Oguzius, quamvis origine Mogolus, tamen populis *Kartik* & *Kallatseb* nomina imposuit Tatarica: *kar* enim hæc lingua *niuem*, *kallat* autem *morari* seu *reficere*, & *atsch* esurientem, significat.

E 5

§. 16.

(d) pag. 348.

(e) pag. 66.



§. 16.

Cetera, ut quæque in manus inciderunt, sequens exhibet ordo:

	ABULGAST	Tatarico- TURCICE	MONGALICE (ut hodie loquuntur) & KALMAKICE.
1. lupus	<i>burap</i> p. 150.	<i>bürjü</i>	<i>tschend</i>
2. ovis	<i>kai</i> p. 660.	<i>koi</i>	<i>choni, goi</i>
3. draco vel crocodilus	<i>lù</i> p. 640.	<i>lù</i>	<i>lù</i>
4. gallina	<i>taük</i> p. 787.	<i>taük</i>	<i>takjü, takä</i>
5. pater	<i>izka</i> p. 157.	<i>atai</i>	<i>etschigè, etzegè</i>
6. sagitta	<i>ok</i> p. 62.	<i>ok</i>	<i>fsomü, samün</i>
7. tres sagittæ	<i>utz-ok</i> ib.	<i>ütsch-ok</i>	<i>gurbä-sumun</i>
8. fabulum	<i>kum</i> p. 117.	<i>kum</i>	<i>ilissü, elesün</i>
9. nigrum fa- bulum	<i>kara-kum</i> ib.	<i>kara-kum</i>	<i>charä-ilissü</i>
10. nix	<i>karlik</i> p. 52.	<i>kar</i>	<i>zassü, tschassün</i>
11. magnus	<i>iga</i> p. 164.	<i>ulu, ulük</i>	<i>jikè, jekö</i>
12. luteus	<i>sari</i> p. 622.	<i>sary</i>	<i>scharä</i>
13. quatuor	<i>durman</i> p. 137.	<i>dört</i>	<i>dürbä, dörbö</i>
14. novem	<i>tokos</i> p. 92.	<i>tokufs</i>	<i>jussü, jessü</i>
15. decem	<i>un</i> ib.	<i>on</i>	<i>arbän, arbä.</i>

§. 17.

Vides, C. L., maiorem vocabulorum partem, quæ in Abulgasi historia assignantur veteri Mogolorum linguæ, esse Tataricam. Unum de *Czingis-Chani* nomine si adiecero, finem differendi faciam. Abulgasi ait (f), nomen Imperatori huic antea fuisse *Temu-dschin*; monitum deinde numine cœlesti, appellationem summissee *Czingis-Chani*. *Czin* ait designare *magnum*, & *Czingis maximum*. Hoc viderint alii, qui peritiores sunt linguæ Mogolicæ. Contra GAUBIL negat eam esse vocem Mogolicam (g): *Czingis* sonum esse putat inanem avis cuiusdam ignoræ, ceterarum avium omnium principis, qualem credidit antiquitas Phœnicem. Pace tantorum manium liceat mihi, aliud existimare. Credo ego, *Czingis* esse Tatarorum Turcarumque *den-gis* (*tengis*), quod mare seu *Oceanum* significat. Voluerunt igitur hac voce indicare, potestatem Imperatoris huius esse immensam, sine fine, sine terminis; quemadmodum & Oceanus immensus nullisque terminis circum-

(f) pag. 194.

(g) p. 12, rem. 1. & 2.

eumscriptus est. Neque hoc novum in ea gente aut inusitatum est. Patrum nostrorum memoria Uratorum rex, Choschotica stirpis, qui Tibetanos bello superaverat, nomen sumit *Dalai Chani* (h), quæ vox Mongalorum & Kalmakorum lingua *mare* significat. Eadem vanitas Pontificem Tibetanorum Maximum impulit ad capessendum gloriosissimum *Dalai - Lama* nomen, quod a Nestorianorum Catholicis acceptum *Pastorem* significat *Univerſi*.

EXHIBUI A. 1755.

(h) du HALDE Tom. IV. p. 90.



III.

**III.**

**DE**

**VARIIS NOMINIBVS**

**IMPERII SHINARUM**

**TITVLISQVE**

**IMPERATORUM**

**EXERCITATIO.**

III

20

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



### III.

DE

## VARIIS NOMINIBUS IMPERII Sinarvm

TITULISQUE

IMPERATORUM

EXERCITATIO

**I**mperium hoc, in ultimis Asiæ plagis ortui hiberno oppositum, Græcarum & Romanarum rerum scriptoribus prorsus incognitum, proavorum nostrorum memoria demum apud exteras nationes inclarescere cepit. Mongali, Tatari, Turci atque Rus-

in KITAI, at Indi, Persæ & Arabes D s i n  
vocat. Europæi, quorum in manus Ara-  
bum, quam Russorum aut Tatarorum, hi-  
storia prius pervenit, S M I N A M appel-  
lant. Mandshuis, qui nunc rerum in hoc  
imperio potiuntur, N i k a n' g u r u n', id est  
Nicania regnum, & incolæ Nicanum nomi-  
ne, veniunt. Ipsi Sinæ suum regnum vulgo  
nominant D s h u n - g u a, hoc est Imperium in  
medio terrarum positum; ignoratione sci-  
licet Cosmographiæ, quam tamen cum aliis  
& Asia & Europa gentibus fere omnibus  
communem habebant, qui hanc terrarum  
mariumque molem non sphaericam, sed or-  
biculatam, imaginatione vana figurabant (a).  
At nunc, quum meliora edoctos errasse pi-  
get, & fateri pudet, veterem opinionem  
interpretatione molliore cupientes, medium  
illud figurato sensu ponunt, & ad mores  
hominum regniq[ue] administrationem trans-  
ferunt; quasi sint incolæ huius regni ii, qui  
suis se continere finibus sciunt, colantque  
virtutem, quæ est, ut Lyrici verbis utar,

*Medium vitiorum, utrimque reductum* (b).

Idem

(a) Hinc illa globi nostri terra quæ appellatur  
Romanis solennis, *Terrarum Orbis*

(b) *Horat. Epist. I, 18, 9.*

Idem Sinæ patriam suam & aliis magnificis appellationibus celebrant, quas heic recensere nihil attinet. Omnia enim ista nomina ad fastum & superbiam sunt composita, & cum naturali vanitate hominum eximissimè congruunt; neque vera & propria huius regni nomina sunt, sed tantum epitheta.

## §. 2.

Si quæras, quam propria hoc Imperium appellatione insignitur: respondeo, *nulla*. Mutuatur nomen a dynastia regnante, & cum interitu eiusdem deponit. Ita v. g. familia, quæ hodie rerum in Imperio Sinico potitur, nomen accepit *Daj - dzin*. Eadem appellatione celebratur hodie Imperium Sinarum. At patrum nostrorum memoria gessit nomen *Daj - min*, a nomine gentis, quæ illo tempore sceptrum imperii Sinici tenuit. Ex quo intelligitur, neque hodiernum nomen *Daj - dzin* perpetuo duraturum, sed periturum, simulac nova rursus familia folium occupaverit.

## §. 3.

Quod si nomen Imperii Sinarum tantum varium est & mutabile: uade ergo perpetua  
F illa



